



**Corpus Juris Canonici, Per Regulas Naturali Ordine  
Digestas, Usuque Temperatas, Ex Eodem Jure, Et  
Conciliis, Patribus, Atque Aliunde Desumptas, Expositi**

Opus, Tum In Rebus Obscuris Claritate, Tum Dispersis Collectione ac  
delectu, in contrariis conciliatione, eximium, simulque Indicibus ac  
Præfationibus, Notisque quamplurimis & exquisitis illustratum, ; In Tres  
Tomos divisum

Complectens Prolegomena Ad Jus Canonicum In Se Et Universim  
Consideratum

**Gibert, Jean-Pierre**

**Coloniæ Allobrogum, 1735**

Difficultas I. An Concilium renovaverit Canones non solùm malè  
observatos, sed etiam abrogatos.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74413](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74413)



inviolare ac subvenire debet; ut ergo in alium locum migrare cogatur à charitate, oportet, ut istius loci necessitates superent necessitate Gregis ipsius; scilicet charitas inordinata foret: idem est de obedientiâ, quæ legitima esse nequit, nisi Ecclesiæ utilitas, aut necessitas illi patrocinentur. Ratio est, quòd Superior dispensare nequeat ab ullâ lege ob bonum publicum directâ conditâ, nisi utilitas aut necessitas publica id requirant; qui autem præcipit Episcopo, ut exeat è suâ Diocesi, illum dispensat à lege residentiæ factâ ob utilitatem & necessitatem Ecclesiæ.

Observatio hæc eò magis necessaria videtur, quòd per eam diluatur objectio, quæ peti potest ex eo, quòd Concilium obedientiam scripserit inter causas dispensationis à residentiâ Episcopali, quæque his verbis proponi potest. Causa dispensationis sumpta ex obedientiâ, quæ Superiori debetur, adeò generalis est, ut videatur Concilium eam reposuisse inter alias causas dispensationis à residentiâ Episcopali, ut residentiæ omninò subiceret arbitrio Pontificis; nam, si hic Episcopum Romam vocaverit, sive motu proprio, sive ob suggestionem cognatorum, & amicorum Episcopi, Episcopus vocatus non audebit postulare rationes, ob quas vocatur; & licet aunderet, non volet, ne fortunæ suæ obstet, quòd si agatur de Episcopo ex Italiâ, de petendis rationibus nullatenus cogitabit: cum se obedientiam cæcâ Apostolicæ Sedi debere opinetur. Igitur, si Pontifex quemlibet ad se evocare possit, quemlibet etiam à residentiâ dispensare poterit; qui autem vocabuntur securi esse poterunt, cum habeant undè sibi persuasum sit, se legitime dispensatos esse per obedientiam Superiori debitam. Hæc est objectio, cui jam respondimus, per observationem præcedentem: Responsio autem talis est, ut sufficere possit, pluribusque ut verbis super federeamus, nisi argumenti gravitas majorem illustrationem mereretur, quapropter novas responsiones subjiciemus.

Episcopi non debent solum obedientiam Pontifici, sed etiam omni Superiori, sive Temporalis, sive Spiritualis; igitur, dici non debet, Concilium excepisse casum obedientiæ Superiori debitæ, ut residentiæ Episcopalem arbitrio Pontificio submitteret; cur enim restringitur ad Pontificem id, quod omnibus Superioribus commune est? Quanam æquitas suadet Concilium de Pontifice solum cogitasse, dum obedientiæ casum exciperet, & ejus solummodo gratiâ exceptionem hanc fecisse. Frustrâ dicitur, Legatis fuisse omnipotentes, atque omnia celsitudini Pontificiæ posthabuisse; nam, licet hoc verum esset, sequitur ne Concilium exceptionem, de quâ agit, faciendo; eandem cum Legatis intentionem habuisse? & quo jure hæc illi intentio imputatur, cum utitur verbis quæ tam Principes & cæteros Episcoporum Superiores complectitur quàm Pontificem. Sanè, ejusmodi imputatio contra apparentias fieret.

Fatemur quòd si Concilium loqueretur solum de obedientiâ, quam Episcopi debent Pontifici, atque illi cæcâ deberent obedientiam, dici posset illud Episcopalem residentiæ arbitrio Pontificio dimisisse, reponendo obedientiam inter causas, quæ à residentiâ excusant; sed nobis etiam concedi debet, locum objectum nimis Generalem esse, ut restringatur ad solum Pontificem, & verbo *debitâ obedientiâ*, intelligi obedientiam justam, rationabilem & legitimam, quemadmodum ubi dicitur, Actum aliquem in *debitâ* formâ esse, intelligitur, in *formâ legitimâ*.

Vindictam hanc Concilii, quæ prorsus necessaria videbatur, absolvimus per observationem, quæ non minus est necessaria: nempe, quosdam eorum, quos refellimus, dicere, Concilium noluisse definire Episcoporum institutionem divinam esse, quia ex ejusmodi Definitione sequebatur, residentiæ Episcopalem jure divino constitutam esse; quod si dictum fuisset, elevebatur amplitudo Pontificia, quæ in

eo sita est, ut Romanus Episcopus de suis Consecratoribus disponere ad libitum possit. Aliudè mox demonstravimus, Concilium non obsequutum fuisse Pontifici, loquendo de residentiâ Episcoporum, quippe quòd statuerit principium unè sequitur, eam divini juris esse, & restrinxerit dispensandi facultatem ad casus, qui exciperentur etiamsi definitum fuisset, eam divini juris esse. Sic ostendimus, Concilium ipsum istius Criminationis fundamentum destruere. Adjice, quòd Patribus Concilii malum ratiocinium attribuitur; nam obligationem aliquam juris esse divini non sequitur, ex eo, quòd annexa sit dignitati institutionis divinæ; sicut non sequitur, obligationem esse juris humani, ex eo, quòd annexa sit dignitati institutionis humanæ. Exemplum præbent Parochi, qui vulgò creduntur institutionis humanæ, quibus tamen competunt officia ratione quorum jure divino obligantur ad residentiæ; illa enim sunt eadem ac munera, quæ Episcopos ad residentiæ astringunt ex vigore legis Divinæ.

### SECTIO III.

#### *Solutio aliquot Difficultatum CAP. I. SESS. XXII. de Reform. circa Vitam & Mores Clericorum*

**C**apitis, cujus expositionem suscipimus, argumentum amplissimum est. Magna ex industria orditur, observando, nihil esse, quod alios magis ad pietatem & Dei cultum assidue instruat, quàm Clericorum Vitam & Exemplum, in quos, tanquàm in Speculum, reliqui intueantur, ut ex iis, quod imitentur, sumant; quapropter, sic decet Clericos Vitam Moresque suos componere, ut habitu, gestu, incessu, sermone, cæterisque omnibus, Religionis, cujus Ministri sunt, amore plebi infundant: tum statuit, renovando omnes Canones à Pontificibus & Conciliis factos, circa Officia Clericorum, quorum alia in faciendo res præceptas, alia in evitando res prohibitas, sita sunt, nec non jubendo, ut illi, sub iisdem penis, vel majoribus arbitrio Ordinarii imponendis, observentur. Porrò, inter Canones circa Officia Clericorum, quidam jam abrogati erant. Conciliorum, quæ Canones hujusmodi sanciverunt, duplex genus est, generalia & particularia. Una ex rebus præceptis est retentio Doctrinæ, cujus momentum tantum est, ut ejus specialis mentio facta, sit enumeratio rerum veteritarum. Desinit per hæc Verba, *quibuscumque criminibus*: res autem inter vetitas, negotiorum secularium administratio numeratur, nec non alia res, quæ non sunt crimina. Denique, inter penas Canonibus innovatis latas, aliæ aliis contrariæ sunt, Canonesque ipsi alii aliis dissentiunt in quibusdam aliis Capitibus: inde plures emergunt Difficultates, quas enodare operæ pretium fuerit.

#### DIFFICULTAS I.

##### *An Concilium renovaverit Canones non solum malè observatos, sed etiam abrogatos.*

**C**anones malè observati ab abrogatis differunt, in eo, quòd illi vim legis retinent, quia Superior semper reclamavit contra non observationem, quæ nunquam fuit generalis: abrogati autem Canones vim Legis amiserunt, quia Superior consentit ipsorum non observationi, quæ plus quàm annos 40. duravit, sine perturbatione atque Interruptione. Ergò queritur, an renovatio tam Canones abrogatos, quàm malè observatos complectatur? Dubium oritur ex eo, quòd proprie loquendo, legem renovare, sit eam ad vigorem pristinum restituere, quod supponit eam subsistere, sed vigoris aliquam partem amisisse, ægram fuisse, ut ità dicam, sed



sed non planè extinctam esse. Ex adversò, Lex abrogata non renovatur, sed restauratur, velut mortua erat & exsuscitatur, cum ejus observatio fancitur. Fortasè, ut omnis dubitationis ansam præcederet Concilium, ubi jussit omnes Canones circa Officia Clericorum observari, adjicit: *Si quæ ex his in desuetudinem abiisse compererint, ea quamprimum in usum revocari & ab omnibus accuratè custodiri studeant, non obstantibus consuetudinibus quibuscumque, ne subditorum neglectæ emendationis, ipsi (Ordinarii) condignas Deo vindicæ pœnas persolvant.* Dixi, fortasè, quia verba hæc, *neglectæ emendationis pœnas*, innuunt Concilium loqui de Canonibus non observatis, sed qui tamen aliquatenus vigeant atque obligant. Aliàs enim ii, qui non eos observavissent, culpâ vacavissent, nec emendationi obnoxii fuissent; Episcopi autem, qui ab ejusmodi Clericorum emendatione cessavissent, vindictam Divinam haud meriti fuissent.

## DIFFICULTAS II.

*An inter Concilia, quorum Canones innovat Tridentinum complectatur Concilia particularia, perinde ac Generalia? Quidnam intelligat per Canones de Cultu, & Canones de retinendâ Doctrinâ.*

**N**on deest ratio, cur credatur Concilia Particularia, perinde ac Generalia, comprehendi hîc sub verbo *Concilium*: nam, verbum hoc absolutum ac generale est, omnibus Synodis ex æquo conveniens, &, præterea, Synodi Particulares omnia sciverunt, circa vitam & mores Clericorum. Porro, argumentum hoc non ex iis est, in quibus strictè verba accipi debeant ob adjunctum odium.

Aliundè, plurimæ rationes suadent, locum hunc restringi debere ad Canones Conciliorum Generalium 1. Concilium hoc, quod Canones Synodorum præcedentium renovavit, Generale est. Porro, Generalia Concilia non nisi Universales Leges faciunt. Nam Synodi Particulares Leges itidem particulares ferunt; ergo Concilium Generale Leges Universales ferre meditat per hanc innovationem. Sed cum renovatio Legum non tribuat ipsis auctoritatem ampliolem, seu latiore, eâ, quam habuerant prius, necesse est, ut Concilium Generale noluerit innovare Leges Conciliorum Particularium, cum ipsæ non potuerint vigere, nisi quoad Provinciam à quâ factæ erant.

2. Difficile non foret in Canonibus Synodorum Particularium, circa vitam & mores Clericorum, antinomias ex locorum diversitate provenientes, reperire; quia v. gr. Vestes, quæ Clericos decent, in quibusdam locis, eis, in alia regione, possunt non congruere, sive ratione panni, sive ratione formæ, vel coloris. Porro, verisimile non est, Concilium voluisse renovare Leges contrarias, earumque observationem, non obstante contrarietate, Ecclesiæ injungere.

Ad solutionem hujus difficultatis, distinguere oportet inter Concilia Particularia, à Conciliis Generalibus adprobata, vel usu recepta in Universâ Ecclesiâ, qualia sunt pleraque ex iis, quorum Canones corpori Juris inserti sunt, atque alia Concilia Particularia, quæ hanc dignitatem adeptæ non sunt. Cum priora universali auctoritate polleant, à Concilio Tridentino comprehensa illa fuerunt cum Conciliis, quorum Canones innovat; secus est de reliquis.

Per Canones *de Cultu*, Concilium intelligit eos, qui de cultu corporis loquuntur, & Clericis munditiam absque luxu, aut nimîâ curâ, præcipiunt; non verò eos, qui ad Cultum Divinum pertinent.

Per Canones *de retinendâ Doctrinâ*, forsitan intelligendi sunt ii, qui Clericis præcipiunt, ut scientiam

ad munerum suorum functionem necessariam excolant, & quorum multi collecti sunt à Gratiano Dist. xxxvi. verbum *retinendâ* appositum videtur, quia sæpè fit, ut Clerici promoti ad Ordines, aut Beneficia, tunc negligent scientiam cujus indigebant ad illa adipiscenda; cum è contra proficere debuissent.

Per Canones *de retinendâ doctrinâ*, possunt quoque intelligi, qui jubent Clericos Sanæ Doctrinæ adhærere, Patrum suorum Doctrinam retinere.

## DIFFICULTAS III.

*An his verbis, quibuscumque criminibus, his connexis, Choreis, Lusibus, Concilium annumeraverit choreas, & Lusum, criminibus; quæ Ecclesiasticis Personis interdicta sunt?*

**N**on multum immorabimur circa difficultatem hanc, sanè eam non proposuimus idèò, quòd nobis visa sit gravis; sed, quia talis Authoribus famosis visa sit. Eorum opinio orta est ex eo, quòd Concilium præceptum vitandi criminis cujuscumque, jungat præcepto abstinendi à Lusu, Cauponâ, Choreis. Junctio hæc eos movit, ut crederent oblectamenta, quatenus Clerici iis operam dant, pro criminibus habita fuisse à Patribus Concilii. Verum si hoc ratiocinium vim aliquam haberet, indè sequeretur, Ecclesiasticis Personis Sæcularium negotiorum gestionem crimen fore; nam Concilium, quod Clericis crimen quodcumque interdixit, eos statim vetat, ne talia negotia suscipiant, & utraque prohibitio tam arctè conjuncta est, quàm præceptum fugiendi crimen quodcumque & prædictas oblectationes.

Præterea, ut conjunctio significet res conjunctas ejusdem generis esse, necesse est, ut eas inter sit adfinitas: at delictum Clericorum, qui comestantur, vel Choreis aut Lusibus intersunt, adfinitatem non habet cum facinoribus, quæ crimina vocantur; hoc enim vocabulum inditum est factis quibusdam atrocibus. Porro, oblectationes, quantumvis Ecclesiasticas Personas dedecent; crimina dici nequeunt sine exaggeratione. Adjice quòd, si Concilium oblectamenta prædicta criminibus annumerare voluisset, ubi Clerici iis indulgent, id indicavisset verbum *aliis* jungendo hisce, *quibuscumque criminibus*, quæ sequuntur *Choreis, Lusibus*. Denique, Cap. 22. SESS. IV. Venatio, Choreæ, Comestationes, & Lusus interduntur Canonicis; sed nullum est verbum quod transgressiones circa eas obligationes crimina esse significet.

Cæterum, multum abest, ut nobis persuasum sit, quin ejusmodi voluptatibus, tales circumstantiæ misceri possint, ut crimina fiant quoad Ecclesiasticos, & quin harum circumstantiarum ratione, opinio, cui repugnamus, defendi possit; sed nihilominus verum erit, intentionem Concilii non fuisse, ut hæc oblectamenta pro criminibus haberentur, cum nullam faciat mentionem ejusmodi circumstantiarum.

## DIFFICULTAS IV.

*Quanam sint Negotia Sæcularia Clericis interdicta per Canones in laudato Capite innovatos.*

**P**rocul dubio est plures esse Canones, qui Clericos ab exercitio Magistratus arceant, nam 1. quidam vetant illos studio Legum Civiliū operam dare, sine quibus tamen negotia sæcularia vulgò definiti nequeunt, sive, quia per illas diriguntur, sive, quia necessaria sunt illæ ad intellectum aliarum Legum, quibus illa negotia diriguntur. Caput 10. *ne Clerici vel Monachi*, disertum est quoad hanc rem. Ibi HONORIUS III. ad Clericos extendit prohibitionem incumbendi studio Legum, quæ Concilium